

LAZARI SCHONERË

easq; qui ceteris omnibus ordinib. emolumento poterat esse singulari, attamen huic orationi nunc supersedendum; proq; mathematicis, si non premiis & honoribus, certè disciplinis & præceptis præcipuè laborandum esse decrevi. Enim verò si beatum & florens habendum est artium liberalium magno numero magistros creari, quanto honestius, sanctius & religiosius videri debet eas artes, à quibus isti nominentur, omnes integerrimè doceri? Neq; verò est quod iuventutis perturbationem è rerum difficultate vereamur: paratissimo enim animo est ad mathematicam δειξιαν qui de dicèdi facultate jam cuncta sit edoctus. Nec audienda est illorum sententia, qui putant, discendis artibus liberalibus serius & imparatius ad majores facultates veniri. Non est ita. Hoc enim artium fundamento jacto majora illa studia vix tertiam temporis partè requirent. Omninoq; lex illa Platonis ἀγεωμέτρητος ἐδὲς εἰσὶτω tenenda etiam hic est, ut vera sapientia spem certiore teneamus. Quam quidem ex quo è cathedra quarundam scholarum Euclides demigravit, planè extenuatam videmus, ut nihil de ceteris dicā, in quibus hic autor nullus adhuc fuit, quas probare sine exceptione nemini fas est. Ipsis jam pridem typographis propter intermissionem,

sionem,